

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Romanae Rotae Tribunal

SENTENTIA DEFINITIVA

In Nomine Domini.

IOANNIS PAULI PP. II anno summi Pontificatus decimo septimo, die 9 martii a. 1995, RR.PP. ANTONIUS STANKIEWICZ, qui et Ponens, ELIAS JARAWAN et ROBERTUS M. SABLE, Auditores de Turno, in causa X., nullitatis matrimonii, inter:

– d.nam A., actricem, in iudicio repraesentatam et agentem per Patronum ex officio N.; et

– d.num B., conventum, per edictum citatum utpote cuius locus commorationis ignoratur;

intervenientibus et disceptantibus in causa R.D. Y., Vinculi Defensore, et R.P. Z., ad casum specialiter deputato,

sequentem in tertio iudicii gradu sententiam definitivam pronuntiaverunt.

FACTI SPECIES

1. - D.na A., in causa actrix, in taberna discothecaria, B., conventum, cognovit, eumque statim in amicitiam acceptavit.

In profundiore tamen familiaritatem iuvenes circiter post biennium pervenerunt, deinde, post alterum biennium, ad necessitudinem sponsaliciam, promittente B. effugere suum violentum agendi modum.

Cum vero ambo usum sexus quoque foverint, A. praegnans evasit, cum ipsarum partium ac parentum displicentia.

Inde, adiuvantibus utriusque partis familiis, sponsi matrimonium celebraverunt in paroeciali ecclesia. Convictus coniugalis in domo paterna mulieris initio instauratus est.

Tribus mensibus a celebratione nuptiarum nondum exactis, natus est filius.

At fere post mensem a filii nativitate, vir munus suum dereliquit, quatenus «he didn't like his boss», ex quo conditio oeconomica coniugum difficilis facta est. Immo, B. aliud quoque munus susceptum statim deseruit, neque tertium a socero adumbratum prosecui voluit.

2. - Interea B. matris suae familiam sequi statuit in C., a publica auctoritate illic translatam, sed A., propositum mariti respuit itemque ob amorem suae familiae paternae, ne facultate videndi eam privaretur.

Admisit quidem A. festivitatem Nativitatis Domini transire una cum filio et marito apud locum familiae maternae viri, sed propositum consanguineorum mariti ibidem definitive manendi iterum repudiavit.

Post reditum in patriam difficultates et discidia inter coniuges increbuerunt. B. enim quodlibet munus tenere recusabat, quia apud familiam maternam in C. avide redire exoptabat, invehendo acriter in uxorem contra consilium demigrandi firmiter obsistentem.

Ita ad separationem de facto perventum est.

Mulier autem separationem legalem prosecuta est atque, tribus annis et octo mensibus a matrimonio celebrato, Tribunali Ecclesiastico porrexit libellum litis introductorium, quo suum matrimonium nullitatis accusavit ob viri conventi incapacitatem assumendi et adimplendi essentialia matrimonii onera.

3. - Tempore instructionis causae pars actrix et quinque testes ab ea inducti depositiones suas in iudicio fecerunt. Conventus enim irreperibilis evasit, itemque eius familiares.

Iudices Tribunalis primae instantiae, affirmativam protulerunt sententiam, qua edixerunt constare de matrimonii nullitate ex accusato nullitatis capite.

Quod iidem declaraverunt propter «a defective personality» conventi ob quam «he was unable to have a “communio vitae” or interpersonal marriage relationship»; ideoque «recommend that a vetitum be imposed on B.».

Quam sententiam, ad normam c. 1682 §2, Tribunal Appellationis ratam non habuit, sed causam ad ordinarium examen alterius gradus remisit.

Immo idem Tribunal, sententiam primae instantiae infirmavit, quia censuit «that the plea of nullity is not proven by the evidence and so, it returns a verdict of “non constat” on the ground of the respondent’s inability to assume and fulfil the essential obligations of marriage».

Ex partis actricis appellatione causa delata est ad N.A.T., ubi super actis causae relatio peritalis ex officio peracta est.

Commutatis dein defensionibus tum pro parte actrice tum pro vinculo matrimoniali, nunc Nobis respondendum est dubio rite concordato hac sub formula:

«An constet de matrimonii nullitate, in casu, ex capite incapacitatis viri conventi assumendi essentielles matrimonii obligationes».

IN IURE

4. - «Prae ceteris sacramentis», sicut ad rem docemur, «haec sunt eiusdem matrimonii sacramenti pecu-

liaria et propria: est videlicet sacramentum rei, quae iam in creationis dispositione inest, est idem foedus coniugale a Creatore institutum “in principio”. Viri ergo mulierisque propositum matrimonium contrahendi secundum hoc Dei consilium, id est secundum propositum vitam, per ipsorum coniugalem et irrevocabilem *consensum*, amore indissolubili atque fidelitate sine condicionibus astringendi, revera requirit, etiamsi modo non omnino conscio, animum affatim oboediendi Dei voluntati, qui sine eius gratia non potest haberi» (IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* 68, AAS 74 [1982] 163-164).

Iamvero secundum hoc «pristinum Dei consilium» (*ibid.*, n. 10, p. 91) matrimonium seu «intima communitas vitae et amoris coniugalis a Creatore condita suisque legibus instructa» (Conc. Oec. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, 48), «irrevocabili *consensu personali* instauratur» (l. c.), quique, eodem tempore, “signum sacramentale” evadit matrimonii ut sacramenti quod gratiam sanctificantem producit quam significat (cf. B. TESTA, *I sacramenti della Chiesa*, Milano 1995, 255).

Namque «proprius fons et singulare instrumentum sanctificationis coniugum familiaeque christianae est matrimonii sacramentum quod sanctificantem baptismi gratiam resumit et perficit». Quin etiam «Iesu Christi donum minime totum positum est in sacramenti matrimonii celebratione, verum coniuges fulcit in vitae eorum perpetuitate» (Adhort. Ap. cit., 56, p. 148).

5. - Consensus tamen personalis et irrevocabilis, qui est actus constitutivus matrimonii «in fieri» et «signum sacramentale» matrimonii prout sacramenti, ut validus sit suosque effectus sortiatur, hoc est «coniugale vinculum christianum» (Adhort. Ap. cit., 13, p. 95) perpetuum et exclusivum, seu matrimonium «in

facto esse», nec non gratiam sacramentalem ad status coniugalis officia adimplenda (cf. c. 1134), a contrahentibus capacibus assumendi iura et officia, «quae a natura foederis coniugalis, sacramenti dignitate aucti, promanant» (Adhort. Ap. cit., n. 67, p. 162), praestari debet.

Matrimonium enim facit consensus legitime manifestatus inter partes iure habiles et capaces iure naturali et canonico ad praestandum hoc irrevocabile foedus, quod nulla humana potestate suppleri potest (c. 1057 §1).

Quare vir et mulier tempore celebrationis nuptiarum capaces sint oportet non solum ad ponendum consensum tamquam «actum humanum» (cf. Const. past. *Gaudium et spes* 48), seu «voluntatis» (cf. c. 1057 §2) in mutuam personarum traditionem et acceptationem ad instaurandam coniugalem communionem (cf. Adhort. Ap. cit., 19, p. 101), materiam ac formam ipsius sacramenti matrimonii constituentem, verum etiam ad praestandum obiectum formale essenziale consensus, quod totius vitae consortium complectitur, iuribus et officiis essentialibus distinctum, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad proles generationem et educationem ordinatum (c. 1055 §1).

6. - Iamvero ad praestandum validum consensum matrimonialem non sufficit capacitas ad actum humanum quemcumque ponendum, verum ea vis rationis, voluntatis, discretionis atque totius personae integratio requiritur, quae essentialia iura et officia coniugalitatis optetere nec non in perpetuum assumere permittat.

Lex enim ecclesialis expresse declarat incapaces esse matrimonii contrahendi: 1° qui sufficienti rationis usu carent; 2° qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda; 3° qui ob causas naturae

psychicae obligationes matrimonii essentielles assumere non valent (c. 1095, 1°-3°).

Quoniam hac legis dispositione elementa ipsius iuris naturalis incapacitati consensuali inhaerentia haud dubie delineantur, cum auctoritate affirmatum est haec elementa incapacitatis iam in vetere Codice saltem implicite exstitisse (cf. *Communicationes* 3 [1971] 77), quae ideo vim suam consensum invalidantem sub illius quoque imperio exsererent.

Codex enim vetus, «praesupponendo quidem dari personas quae incapaces sunt matrimonio, maluit nihil dicere de huiusmodi incapacitatibus ad matrimonium ineundum. Putavit sufficere principia enuntiare circa ea quae requiruntur ut exurgat validum matrimonium, scientiae et iurisprudentiae relinquendo munus determinandi quatenus personae de facto sunt orbatae illis qualitatibus quae requiruntur ut quis validum foedus coniugale inire possit» (U. NAVARRETE, «Capita nullitatis matrimonii in Codice I. C. 1983. Gressus historicus versus perfectiorem ordinem systematicum», in *Justus Iudex*, Essen 1990, 267).

At novus Codex «conatur exprimere modo systematico praecipua capita nullitatis iuris naturalis eo praeciso scopo ut iudices ecclesiastici habeant normam scriptam quae eos iuvet in iure naturali applicando ita ut facilius tum iniustam rigiditatem tum reprobabilem laxitudinem vitent» (*Acta et Documenta Pont. Comm. C. I. C. Recogn., Congregatio Plenaria* diebus 20-29 octobris 1981 habita, Città del Vaticano 1991, 445).

7. - Quod vero spectat ad *incapacitatem assumendi* essentielles matrimonii obligationes ob causas naturae psychicae (c. 1095, 3°), sicut ad rem perspectum est, iam sub vetere Codice recognosci poterat «tendentia iurisprudentiae rotalis ad declarandam nullitatem ma-

trimonii in casibus, in quibus contrahentes, attentis facultatibus quibus consensus efformatur, et elicitur, capaces quidem reputabantur ad consensum emittendum, at incapaces ad foedus coniugale valide ineundum iudicabantur, eo quod non possent adimplere obligationes essentielles matrimonii, iuxta illud principium traditione sancitum et in se evidens: “Nemo potest ad impossibile se obligare”».

«Novitas ergo huius tendentiae, quae uti revolutio quaedam exhibebatur, non sistit in principio iuridico quod applicatur, sed in eiusdem applicatione ad solvendo casus concretos occurrentes, qui antea alia via solvi solebant».

«Coepit quoque designari hoc “novum caput” nullitatis terminis “impotentia moralis” (ut ab impedimento impotentiae distingueretur), “incapacitas adimplendi obligationes”, “incapacitas assumendi onera” et aliis id genus vocabulis» (ibid., 268-269).

Ea igitur de causa nova lex ecclesialis de incapacitate assumendi essentielles matrimonii obligationes etiam matrimoniis sub vetere Codice celebratis applicari solet, sicut nostro in casu in praecedentibus iudicii gradibus obvenit, etiamsi sententiae prolatae rationem adhibendi novam legem nullatenus exhibeant.

Re sunt tamen incapacitates, «quae, supposita in subiecto capacitate eliciendi consensum, proveniunt ex eo quod subiectum non est capax adimplendi obligationes essentielles foederis coniugii, ideoque non est capax huiusmodi foederis» (ibid., 271).

8. - Quamquam de rectitudine principii superius relati haud ambigitur, interdum tamen disputatur, utrum hac in re *de incapacitate assumendi* essentielles matrimonii obligationes sensu proprio agatur, an potius de *incapacitate adimplendi* tales obligationes.

Sunt enim qui putent has locutiones esse omnino aequivalentes, cum diversos tantum adspectus eiusdem realitatis ostendant. Hoc igitur sensu «incapacitas directe adimpletionem, indirecte assumptionem onerum respicit» (coram Pinto, sent. 28 octobris 1976, n. 7; RRD LXVIII, p. 387).

Inde iuxta hanc acceptionem «contrahendi matrimonium incapax est qui, ob causas psychicas, v. gr. personalitatis perturbationem, impossibilitate saltem morali laborat adimplendi quoad substantiam personarum et operum coniunctionem essentialiter ad bonum coniugum requisitam, dummodo impossibilitas haec antecedit nuptias (non ergo ex causis postnuptialibus orta sit), et intra congruum tempus mediis licitis ordinariis sanari nequeat» (coram Pinto, sent. 9 novembris 1984, n. 13; in *L'incapacitas (can. 1095) nelle «sententiae selectae coram Pinto»*, Città del Vaticano 1988, 290-291).

Quod summatim quoque hisce verbis exponitur: «ad normam can. 1095, n. 3 ergo, qui nequit assumere obligationes essentielles matrimonii ob causam vel causas naturae psychicae, est incapax contrahendi matrimonium “eo quod eas adimplere nequeat, obstante incapacitate saltem morali, quae in magna difficultate consistit”» (coram Doran, sent. 29 octobris 1992, n. 8; RRD LXXXIV, p. 511).

9. - Quamvis *incapacitas assumendi* essentielles matrimonii obligationes ab impossibilitate eas adimplendi exoritur, haec tamen efficaciam irritantem consensum non sortitur, nisi tempore celebrationis nuptiarum iam sit *in actu*. Si enim impossibilitas adimplendi nuptiis iam celebratis prorumpat, vim suam in praeteritum exserere nullatenus potest, nec ideo consensum matrimoniale tempore eius manifestationis inficere valet.

Procul dubio perspicua ac manifesta inadimpletio alicuius obligationis essentialis post initum matrimonium elementum utile affert probationum exordio de existentia verae incapacitatis assumendi eandem obligationem in nuptiis ineundis.

Iamvero incapacitas «assumendi» ad momentum constitutum foederis coniugalis respicit, seu ad matrimonium «in fieri», cui tamen insunt in «potentia», seu in «suis principiis», obligationes essentielles matrimonii «in facto esse», dum incapacitas «adimplendi» se refert ad executionem obligationum status coniugalis, seu matrimonii «in facto esse», et consistit in impossibilitate morali, non vero in mera difficultate, traducendi eas in vitae usum.

Quin etiam haec incapacitas considerari potest tamquam inadaequatio radicalis subiecti circa obiectum consensus, in qua agitur «di vero stato radicalmente inetto», in ordine «alla effettuazione degli obblighi da parte di uno o di entrambi i nubenti» (M.F. POMPEDDA, «L'incapacità consensuale», in AA.VV., *Incapacidad consensual para las obligaciones matrimoniales*, Pamplona 1991, 77).

Idque cum principiis doctrinae iuris civilis circa incapacitatem naturalem concordat, quae, tali in casu, deprehendit «nel soggetto uno stato di inettitudine psichica» quoad determinatum actum ponendum (A. TORRENTE – P. SCHLESINGER, *Manuale di diritto privato*, Milano 1994¹⁴, 78).

10. - Incapacitas assumendi obligationes matrimonii essentielles, prout lex statuit, ex *causis naturae psychicae* (c. 1095, 3^o) proveniri debet.

Haec clausula, sicut ad rem docemur, «potius roborata» est in textu legis nunc vigentis, «attenta anxietate qua multi hoc novum caput nullitatis videbant ac si

ipsum viam liberam ad maximos abusus iurisprudentiae aperiret» (U. NAVARRETE, «Capita nullitatis matrimonii», 270).

Perpenso autem principio iuris naturalis, in quo nova lex innititur, scilicet «nemo potest ad impossibile se obligare», revera «nihil refert ratio vel causa huiusmodi impossibilitatis adimplendi obligationes, dummodo vera impossibilitas (incapacitas) habeatur» (ibid., 271).

Sed tamen *causa* naturae psychicae huius incapacitatis, de qua c. 1095, 3° cavet, iuxta significationem *causae formalis* intelligi debet, ex quo ipsa ad ordinationem vitae psychicae, seu ad subiecti structuram psychicam spectat, et quidem independenter ab indole causae efficientis talem structuram psychicam, incapacitatem inducentem, sive haec sit organica sive functionalis seu endogena (cf. P. PAVANELLO, *Il requisito della perpetuità nell'incapacità di assumere le obbligazioni essenziali del matrimonio* [can. 1095, 3°], Roma 1994, 30).

Namque, sicut periti in re psychiatrica sustentant, «dal punto di vista della scienza pura e semplice, qualunque distinzione tra malattia psichiatrica funzionale e organica è in certo senso artificiosa» (G.O. GABBARD, *Psichiatria psicodinamica. Nuova edizione basata sul DSM-IV*, tr. it., Milano 1995, 15).

Quare hac in re unitatis psychicae subiecti semper reminiscatur oportet: «sia che si tratti d'organogenesi o di psicogenesi prevalente, sia che si tratti d'espressioni patologiche somatiche o mentali, rimane tuttavia necessario non dimenticare l'unità psicosomatica dell'uomo malato» (A. BÉCACHE, «Malati psicosomatici», in AA.VV., *Psicologia patologica*, tr. it., Milano – Parigi – Barcellona 1995, 238).

11. - At perspecta significatione clausulae legalis, quam refert n. 3 c. 1095, interdum de existentia cuiusdam *lacunae iuris*, hac in re occurrentis, fit disceptatio.

Iamvero, «posita clausula restrictiva ob causas naturae psychicae, non omnes casus possibles incapacitatis assumendi onera comprehenduntur in n. 3 c. 1095, attento etiam c. 1084 de impotentia coeundi» (U. NAVARRETE, «Capita nullitatis matrimonii», 271).

Tamen nihilo secius, praeter evidentem facti speciem incapacitatis complendi actum conjugalem ob causam naturae physicae seu organicae, iuxta sensum causae efficientis et formalis, etiamsi ex legis praescripto haec incapacitas sub forma impedimenti dirimentis vim suam exserat (cf. c. 1084), aliae species incapacitatis assumendi obligationes essentielles, ex causis diversis provenientes quam ex illis naturae psychicae, haud tam facile eveniunt.

Utrumque sunt qui praesentiant scientiae progressum reperturum esse alias quoque incapacitates adimplendi obligationes essentielles matrimonii potissimum ex causis geneticis et biologicis (cf. A. MENDONÇA, «Incapacity to Contract Marriage. Can. 1095», *Studia Canonica* 19 [1985] 296-297).

Quidquid tamen hac de re dici potest, hoc saltem in praesentiarum admittendum videtur futuras incapacitates, si quae forte deprehendantur, nec aliter quam iuxta significationem clausulae restrictivae c. 1095, 3°, id est «ob causas naturae psychicae», aestimatas fore.

12. - Quod autem spectat ad significationem causae *naturae psychicae* incapacitatis assumendi obligationes matrimonii essentielles, quidam putant illas causas non posse ita intelligi, ut cum *anomalia psychica* necessario identificentur, cum satis superque sit ut sensu lato dimensionem psychicam personae ingrediantur ac partem habeant alicuius habitus radicitus personae inhaerentis vel conditionis existentialis personae, et ita porro. Alii vero causam psychicam ab illa

psychologica secernentes opinantur indolem huius causae ordinarios quoque eventus vitae psychicae complecti posse.

At reductio causae naturae psychicae incapacitatis assumendi obligationes ad normalem ordinationem vitae psychicae personae, procul dubio componi nequit cum principiis anthropologiae christianae, quae eiusdem incapacitatis delineationi atque aestimationi cavent (cf. coram infrascripto Ponente, sent. 27 februarii 1992, n. 9; RRD LXXXIV, p. 108).

Omnes enim christifideles ordinarie capaces celebrandi matrimonium habentur (cf. c. 1058), ita ut incapacitas exceptionem constituat, quae nonnisi ex dimensione pathologiae psychicae exoriri possit, seu ex gravi anomalia, non vero ex dimensione normalitatis.

Ceterum post duas celeberrimas Allocutiones Ioannis Pauli II ad Rotam Romanam de incapacitate psychica in causis nullitatis matrimonii, scilicet dierum 5 februarii 1987 (AAS 79 [1987] 1453-1459) et 25 ianuarii 1988 (AAS 80 [1988] 1178-1185), iam nullum adest dubium quin *gravis pathologia psychica* requiratur, ut ex capite incapacitatis assumendi essentialia matrimonii onera matrimonium nullum ac irritum declarari possit.

13. - Iamvero iuxta Magisterium Pontificium «deve rimanere chiaro il principio che solo la *incapacità*, e non già *difficoltà* a prestare il consenso e a realizzare una vera comunità di vita e di amore, rende nullo il matrimonio», etiamsi obstacula vitae coniugalis se erigere possint «sia per i blocchi di natura inconscia, sia per lievi patologie che non intaccano la sostanziale libertà umana, sia, infine, per deficienze di ordine morali».

Namque, «una vera *incapacità* è ipotizzabile solo in presenza di una *seria forma di anomalia* che, comun-

que si voglia definire, deve intaccare sostanzialmente le capacità di intendere e/o di volere del contraente» (*Allocutio* d. 5 februarii 1987, cit., n. 7, p. 1457).

Licet quidam putent verba Romani Pontificis de severa specie anomaliae haud respicere ad n. 3 c. 1095, cum incapacitas assumendi obligationes insimul stare possit cum capacitate intelligendi et volendi (cf. J.J.GARCÍA FAÍLDE, *Manual de Psiquiatría forense canónica*, Salamanca 1991², 175), nihilo secius haec quoque incapacitas a principiis anthropologiae christianae non eximitur.

Omnes enim habitus contra aliquam obligationem, aut perturbationes, ex vita inconscia vel ex levi psychopathologia provenientes, libertatem essentialem volendi hanc obligationem, eamque assumendi atque ferendi non auferunt, etiamsi libertatem effectivam reducere possint, perpenso quod in praedispositionem subiecti influxum suum exercent.

14. - Ea de causa, etiamsi alterutra vel utraque pars hisce de causis veram difficultatem in adimplenda aliqua obligatione essentiali periclitata sit, quatenus, verbi gratia, etiam «persona habitudinaria difficultatem habet maiorem ad assumendam et observandam obligationem», quae dispositioni habituali contraria sit, nihilo secius «sine gravi anomalia psychica, haud consideranda est incapax observandi hanc obligationem» (G. VERSALDI, «Animadversiones quaedam relate ad Allocationem Ioannis Pauli II ad Romanam Rotam diei 25 ianuarii 1988», *Periodica* 78 [1989] 255).

Eapropter «causa psychica, quae personam reddat incapacem sumendi obligationes essentielles matrimonii, identificari debet cum illo processu pathologico, de quo locutus est Ioannes Paulus II, id est, cum severa specie anomaliae psychicae». Talis vero interpretatio

«non solummodo evitat contradictionem inter Legislatorem et Supremum legis Interpretem, sed logica videtur si notio causalitatis sumitur non sensu causalitatis efficientis, sed causalitatis formalis, i. e. iuxta rationem qua incapacitas assumendi habetur seu iuxta illos processus psychicos quibus contrahens turbatur in sua capacitate praestandi consensum» (ibid., 254-255).

Ceterum ipse Romanus Pontifex reprobatur sententias eorum qui «considerano facilmente anche le lievi patologie o addirittura le deficienze di ordine morale come prova di incapacità ad assumere gli obblighi essenziali della vita coniugale» (*Allocutio* d. 5 februarii 1987, cit., n. 5, p. 1456). Idque, quia «solo le forme più gravi di psicopatologia arrivano ad intaccare la libertà sostanziale della persona» (*Allocutio* d. 25 ianuarii 1988, cit., n. 6, p. 1182).

15. - Hoc insuper prae oculis habendum est normam ecclesiam (c. 1095, 3°) cavere potius pluribus incapacitatibus assumendi essentialia matrimonii obligationes, vel pluribus formis specificis incapacitatis, quam uni tantum incapacitati, modo generali conceptae, vel unicae eius formae.

Re quidem vera hac in re merito affirmatur *incapacitates*, de quibus sermo est in n. 3 c. 1095, «*specificari ex obligationibus* (oneribus) essentialibus, quas quis adimplere non valet».

Quam ob rem, «posita specifica differentia obligationis, quam quis adimplere non potest, sequitur respectivam incapacitatem esse etiam specificè indigitatam ac definitam. Per se singulae huiusmodi specificae incapacitates considerandae sunt uti rationes quae per se ipsas et independenter ab aliis, secum ferunt nullitatem matrimonii, id est, tractandae sunt uti *capita autonoma nullitatis* ad omnes effectus iuridicos, praesertim

quod attinet necessitatem *duplicis sententiae conformis* in processu nullitatis» (U. NAVARRETE, «Capita nullitatis matrimonii», 272).

Sed «arduum esset elenchum exhaurientem conficere incapacitatum, quae in c. 1095, 3°, comprehenduntur».

Iamvero, quamvis index incapacitatum exoptatus esset, «nec hodie esset possibile talem elenchum conficere, cum non pauca huc spectantia in discussione adhuc sint» (l. c.).

16. - Sed idem dicendum est quoque de obligationum matrimonii essentialium determinatione, in quas specifica incapacitates illas assumendi adimplendique vertere debent, eo vel magis quod de elementis constitutivis incapacitatum agitur, non vero de elementis extrinsecis tantum.

Re quidem vera, sicut doctrina canonica (cf. P. PAVANELLO, *Il requisito della perpetuità*, 36-40), ita et iurisprudentia rotalis ad obligationum individuationem diversas adhibet delineationes.

Profecto hoc in opere perficiendo notatur recursus ad varia schemata, ut puta ad *bona matrimonii*, id est, prolis, fidei, sacramenti et coniugum (cf. coram Pinto, sent. 9 novembris 1984, cit., n. 10, p. 289; coram infra-scripto Ponente, sent. 23 iunii 1988, n. 5; RRD LXXX, p. 417; coram Jarawan, sent. 15 novembris 1989, n. 7; RRD LXXXI, p. 678), ad *obiectum formale consensus* (cf. coram Funghini, sent. 8 novembris 1989, n. 4; RRD LXXXI, p. 659), ad *ordinationem matrimonii et proprietates essentielles* (cf. coram Civili, sent. 17 maii 1989, n. 4; RRD LXXXI, p. 357; coram Faltin, sent. 24 maii 1991, n. 14; RRD LXXXIII, p. 336), ad *proprietates et elementa essentialia* (cf. coram Bruno, sent. 23 februarii 1990, n. 4; RRD LXXXII, p. 140; coram Co-

lagiovanni, sent. 20 martii 1991, n. 14; RRD LXXXIII, p. 177), ad *consortium seu communitatem vitae coniugal*is (coram Serrano, sent. 16 decembris 1983, n. 8; RRD LXXV, p. 712), atque ad *consortium coniugale in suis essentialibus proprietatibus et in sua duplici ordinatione naturali* (coram Exc.mo Pompedda, sent. 15 ianuarii 1987, n. 9; RRD LXXIX, p. 12; coram Doran, sent. 18 martii 1988, n. 5; RRD LXXX, p. 176).

17. - Itemque in determinatione obligationum essentialium circa quas dari possunt incapacitates quoad earum assumptionem, merito advertimur «profunde inter se *differre huiusmodi obligationes*, v. gr. aliae urgent semper et pro semper, ut dicitur, sine interruptione ut puta obligatio non adulterandi, aliae vero urgent semper sed non pro semper seu non continuo, sic v. gr. obligatio reddendi debitum. Ideo in diiudicanda existentia vel minus incapacitatis eiusque specifica natura ad haec animadvertendum erit» (U. NAVARRETE, «Capita nullitatis matrimonii», 272).

Iamvero cum non omnes obligationes eandem naturam habeant eandemque vim continuam exserant, ab hisce notis separari nequeunt incapacitates, quae ad determinatas obligationes assumendas constituuntur.

Ita enim si agatur de obligatione ad exclusivitatem consortii totius vitae, vel ad aliam id genus, quae indolem negativam habeat atque obstringat «semper et pro semper», incapacitas assumendi eam effectum invalidantem consensum sortitur, si gravis anomalia obligationis adimpletionem tempore nuptiarum impossibilem reddat.

Quod si agatur de obligatione positiva, «semper, sed non pro semper» obstringente, ut puta de obligatione instaurandi vitae matrimonialis communionem, vel relationem personalem coniugalem, quae totam vitam

coniugum complectuntur et continuo praestari debent, incapacitas circa tales obligationes item efficax evadit, si gravis anomalia impediens earum adimpletionem tempore celebrationis nuptiarum supersit.

Nam pro id genus obligationibus requisitum *perpetuitatis*, secus ac pro illis quae nullum terminum ad urgendam praestationem exigunt (cf. c. 1084 §1), momentum non habet.

18. - In dignoscenda causa naturae psychicae, quae incapacitatem assumendi essentialem aliquam matrimonio obligationem efficere possit, auxilio scientiarum psychologiae et psychiatriae utendum est ope peritorum (cf. cc. 1574; 1680).

Hi enim iuxta scientiae suae praecepta explorare debent, in casu sibi subiecto, exsistentiam anomaliae psychicae in nupturiente, et quidem pro tempore celebrationis nuptiarum, eius originem, naturam, gravitatem et prognosim, potissimum vero definire tenentur eiusdem anomaliae influxum in formationem consensus matrimonialis, et, sicut nostro in casu, in possibilitatem adimplendi essentialem aliquam matrimonii obligationem a nupturiente, qui in processu canonico incapacitatis assumendi eam accusatur.

Quod si conclusio peritalis infaustam prognosim detectae gravis anomaliae, seu eius insanabilitatem pro comperto habeat, tamquam elementum probatorium assumi potest pro exsistentia impossibilitatis moralis quoad adimpletionem determinatae obligationis.

Etenim «haud dubium est condicionem insanabilem praepedientem adimpletionem obligationum essentialium in alterutro vel utroque coniuge secumferre argumentum probatum verae impossibilitatis nec tantum merae difficultatis» (coram Exc.mo Pompedda, sent. 19 octobris 1990, n. 9; RRD LXXXII, p. 688).

IN FACTO

19. - Propter viri conventi ignotum locum commotionis de eius indole psychica nihil certi ex directa ipsius interrogatione iudiciali cognosci potest. Super sunt tamen depositiones iudiciales actricis eiusque testium, potissimum vero relatio peritalis hoc in tertio iudicii gradu exarata, quae una simul elementa probationis accusatae conventi incapacitati assumendi essentialis matrimonii obligationes haud dubie suppetunt.

Utcumque de hoc nullitatis capite tantum agendum est, cum alia capita, quae in actis quibusdam indiciis redolere videntur, sicut probabilis metus saltem reverentialis vel simulatio ex parte eiusdem conventi, in praecedentibus instantiis in disceptationem vocata non fuerint.

Scimus autem ex depositione patris ipsius actricis, propter necopinatam filiae praegnantiam conventum passum esse aliquam pressionem ad matrimonium, quatenus «his father appeared to be pressuring him», atque «there was pressure from her mother».

Ceterum ipsa actrix similis circumstantiae reminiscitur: «He did tell his father the night before the wedding that he didn't want to get married but his father said he had to go through with it».

20. - Infitiandum non est quin plures notitiae de magni momenti circumstantiis, quae ad accusatum nullitatis caput incapacitatis conventi spectant, ex declaratione iudiciali partis actricis proveniant.

Attamen credibilitatem eiusdem actricis, sicut ex actis constat, nemo in dubium revocare ausus est. Immo ipse Instructor, recepto vadimonio iudiciali actricis, bonum veridicitatis testimonium praebuit ei, scilicet quod «she was a student when she married and is now back a student. She is rearing her son also». «I was certain that she wanted to tell the truth in this interview».

Quocirca falsi suspicione carere videntur, quae ab actrice in iudicio narrantur de conventi violenta indole nec non de aliis rerum adiunctis, haud excepta infelici nuptiarum sorte.

Ipsa autem de merito causae refert se tempore relationis amicalis a convento fere vi quadam inductam esse ad sexus usum, ex quo praegnans evasit et ita ad celebrationem matrimonii praepropere accessit.

Etenim iuxta mulieris narrationem «two or three times he physically abused me. Once outside his home we had a fight and he tried to strangle me. Another time on holiday with his family he trapped me in a bedroom and punched me many times. I overlooked these incidents because he promised never to do it again».

Adveniente praegnantia, quamvis actrix adhuc studens foret in scholis, noluit tamen displicere suis parentibus «and have an illegitimate child in the family», ideoque matrimonium acceptavit. Etenim, sicut ipsa narrat, «my parents are quite religious. My mother was distressed. The only way out to please everybody was to get married and hope for the best».

21. - De conventi indole pars actrix haec insuper addit: «At the time of the marriage he was bitter about the fact he had to get married – I was pregnant. He was untrustworthy. I couldn't have trusted him to do anything. He was immature. He was 21. So was I immature – I was 19. He was a thinker and did not let people know his feelings or what he was up to. He was very closed».

«He promised that we would get engaged [...]. When the day came he had no money to buy the ring even though he pretended up to then that he did have. My mother provided the money for the engagement ring».

Actrix notat quoque nimiam dependentiam conventi a matre sua: «B. has been very close to his mother and often suggested that he would be rather with her than with me». «Whatever his mother said or wanted he would do. He had no independence even at the age between 18-21. To his friends he was one thing – to his mum he was another».

Potissimum vero actrix in lucem profert conventi effrenatam violentiam.

Iamvero «the violence» erat peculiare conventi signum, quia «He was a fighter among different types of groups of young men. He wouldn't let anyone walk on him. He got his point across verbally or physically».

Nec aliter conventus tempore convictus matrimonialis egit. Pars actrix enim conqueritur quod B. usus est «both physical and mental abuse».

In specie vero: «He had a tendency to strangle me and that happened on several occasions and he would throw me about the room. He used poke at me and pull my hair anything to provoke me. On a number of occasions he tried to strangle me until I was almost dead. Half an hour later he would be like a lamb and sorry. His mother saw him throw me down a flight of stairs. My mother saw bruises on my neck».

22. - Ob conventi violentam agendi rationem intima vita coniugalis inter partes fere inexistens erat.

Qua de re actrix sequenti utitur excusatione: «I didn't want to give myself to a man who constantly harassed me. I hated him to the point that I couldn't let him touch me. I don't like to be abused in any form and he abused me in every way».

Itemque propter agendi rationem conventi tempore convictus coniugalis breves separationes temporariae

inter partes locum habuerunt, id est «a day or two here and there and there was a week at one time».

Separatio autem definitiva, iuxta actricis narrationem, sequenti modo obvenit: «Argument – then violence. Then he told me to get out and take my son with me. He went into the street with me and spat on my face. I went back to my mums».

Pars actrix putat quoque conventum caruisse necessaria maturitate psychologica ad nuptias. Idque, quia «he wouldn't fulfil his responsibilities towards his wife and child. He didn't seem to understand that it was a new way of life. Basically he refused to help to make a home. He couldn't accept that he was married». «He told my friend after a few months that he wished he could get a divorce».

Tandem ex vitae postnuptiali experientia pars actrix arbitratur conventum fuisse incapacem ferendi matrimonii obligationes. Ait enim: «Definitely not because firstly he didn't want to be married and therefore refused to participate in married form of life. He just wasn't married. He had no respect at all for me. He didn't make sure his son was clothed and fed properly although he was».

23 . - Actricis pater putat utramque partem necessaria maturitate caruisse ad nuptias, etiamsi «she was more mature than he was».

Conventus autem «appeared to be a “mammy's boy”. He didn't seem to care or worry about A. He seemed to act as if he had to do this». «He tried to impress on his father that he was a hard man». «Times I thought he was a bit queer».

Testis admittit quoque filiam numquam convento nupturam fuisse, si ex illo gravida non esset. Namque: «She didn't want to offend me by having an illegitimate child».

Violentam agendi rationem conventi testis cognovit cum post nuptias ad filiae succurendum vocaretur. Testis declarat quod «It was physical abuse».

Separatione facta, «A. was very disturbed. She came around. She got a flat in L. She was lonely. She came back home and returned to her studies. He has soured her against men. She appears to have almost returned to normal».

Causam naufragii matrimonii testis tribuit convento, quia «he didn't want to be married», et ita «there wasn't a stable background».

24. - Sicut actricis pater, similiter eius mater matrimonio filiae cum convento, praegnantiae causae ineundo, non studuit. At neque proposito nubendi obsistere ausa est, quia, ut refert, «I was afraid to object for fear it would influence her away from me», etsi «I didn't think they were suited».

Conventus autem nullum habuit consilium de instauranda vita coniugali cum filia. Idque non solum, quia «he didn't communicate much», sed potissimum quia «he hadn't planned – nowhere to live nor had any suggestions of where to live».

Ceterum: «He seemed disinterested in the marriage. He didn't seem to take the marriage seriously. He was just prepared to go along with it».

De violenta indole conventi testis haec addit ex partium brevi vita coniugali: «When they went to live in K. about six months after marriage, he abused her mentally and physically. She came home on a couple of occasions but I encouraged her to go back. First time she stayed one night. Second time for a week. Then shortly after that he put her and the baby out on the street, and she rang her father to bring her home. She started legal proceedings the next day».

De conventi idoneitate ad onera coniugii ferenda testis negativum dat responsum. Nam una ex parte vir conventus «didn't want the responsibility of a wife and child», altera vero ex parte caruit necessaria maturitate «to undertake and carry out its responsibilities».

25. - Itemque actricis avunculus putat partes tempore nuptiarum fuisse revera immaturas, ut responsabilitates conjugales suscipere possent. Immo a patre viri conventi audivit de quadam forma coactionis filii ad nuptias, seu de exsistentia «pressure on him to marry», videlicet praegnantiae causa.

Utique actrix intendit vitam conjugalem prosequi, sed «she went back after all the abuse».

Simili modo actricis matertera rerum adiuncta describit.

Iuxta testis opinionem partes non solum «were too young», ut ad matrimonium extra iocum accedere possent, sed etiam psychologica immaturitate laborabant. Inde ambo sufficienti maturitate carebant, ut responsabilitates matrimoniales suscipere et adimplere possent.

De violenta agendi ratione conventi post nuptias testis haec habet: «I heard about him beating her. She came home from K. two or three times showing signs of abuse».

Causam vero naufragii matrimonii tesis ponit in conventi «attitude to work and the violence».

26. - Demum soror religiosa, familiae actricis amica atque magistra scholae ab actrice frequentatae, loquitur quoque de matrimonio coacto ob puellae praegnantiam. Immo audivit ab aliis «that B. said his father told him he would kill him if he did not marry her».

Item iuxta opinionem huius testis conventus «was immature» ad matrimonium, praesertim vero «to un-

dertake and carry out its responsibilities». Simile iudicium testis profert quoque de parte actrice, quae sufficientem maturitatem psychologiam id temporis nondum assecuta est, hoc est ad subeundas coniugii responsabilitates.

Testis recordatur quoque indolis violentae viri conventi, praesertim manifestatae post nuptias.

Namque: «A. told me that he hit her. This was after the marriage, after the birth of the child and this incident occurred in the course of a quarrel». Utique «she may have expected her husband to treat her as her father treated her mother. She was perhaps not aware of difference in life styles. She would have felt that the fact the boy was of a different social background was unimportant».

Utrumque vicissitudines vitae coniugalis etiam salutem actricis infregerunt, quia «her mother reported to me that the doctor suspected anorexia nervosa».

27. - Nostro in iudicii gradu peritiam ex officio exaravit super actis causae Prof. D., psychiatrus.

Licet Defensor vinculi deputatus ad rem advertat acta haec nullum documentum medicum, seu psychiatricum, suppetere quoad conventum ad opinionem solidam offerendam, nihilosecius Peritus, manifestando quidem «un rimpianto per l'assenza di anteriore documentazione di carattere psichiatrico, basata cioè sul diretto esame del convenuto», censet tamen elementa probatoria in actis collecta sufficere ad perficiendam aestimationem peritalem circa conditionem psychicam conventi relate ad coniugii onera essentialia, potissimum ad obligationem instaurandi vitae coniugalis communio-nem, quae consensu matrimoniali assumere debuit.

Enimvero iuxta opinionem Periti «le testimonianze danno sufficienti indicazioni di un comportamento irre-

sponsabile e violento (del convenuto) già prima del matrimonio».

Et insuper addit: «la mia opinione diagnostica si basa perciò sulle descrizioni che furono fatte del comportamento del convenuto prima e dopo la conclusione del matrimonio».

Opinio peritalis igitur innititur declarationibus iudicialibus, quae in actis prostant, habita ratione earum veridicitatis, quam Tribunal primae instantiae expresse comprobavit.

28. - Declarationes actricis et testium, sicut Peritus adnotat, pondus suum haud parvi momenti retinent in ordine ad describendam indolem psychicam conventi. Eaedem enim «non riguardano tanto le illazioni su specifiche caratteristiche psicologiche del convenuto, tranne un generale consenso sull'imaturità del soggetto», sed «riguardano soprattutto la descrizione di comportamenti di esso, dalle quali si può certamente estrarre una chiara impressione diagnostica».

Super his igitur elementis Peritus diagnosim facit «di Personalità Emotivamente Instabile» in viro convento.

Haec opinio diagnostica, iudicio Periti, «riguarda una patologia di base», quae «in riferimento al DSM-III-R potrebbe rientrare in quello che viene chiamato "Disturbo Antisociale di Personalità", oppure "Disturbo Borderline di Personalità"», etiamsi «tale precisazione potrebbe essere fatta solo attraverso l'esame diretto del soggetto».

De veritate propositae diagnosis deordinationis personalitatis in viro convento Peritus ita argumentatur: «Tutta la storia del convenuto, con la sua aggressività pesante e disordinata, fisica e verbale, la sua completa irresponsabilità, la mancanza di atteggiamenti af-

fettuosi, il suo cinismo ed egoismo (voleva che la moglie tornasse a casa semplicemente perchè cucinasse per lui) conferma questa diagnosi».

29. - De natura et origine huius deordinationis personalitatis nec non de eius influxu in capacitatem decisionalem conventi, Peritus in sua relatione haec refert: «Tale disturbo è stato considerato come funzione di fattori socio-culturali ed evolutivi e di immaturità neuro-fisiologica».

Et amplius: «Questo disturbo, che si sviluppa nell'ambito dello sviluppo della personalità, che va dall'infanzia alla completa adolescenza, si manifesta con reazioni affettive e comportamentali volatili dinanzi alle più modeste contrarietà. Tali personalità dalla bassa soglia reattiva a stimoli emotivi, e dalla reazione rapida stereotipata, aumentano la probabilità di distorsioni percettuali progressive, di scarso giudizio e di comportamenti inappropriati. Le funzioni cognitive immediate possono venire disorganizzate da esplosioni affettive. Da ciò deriva una lesione dei poteri discrezionali e decisionali».

Sed Defensor vinculi deputedus contra disputat quod nempe modus asperus ac violentus agendi, ex parte viri, aliquando in uxorem aut in adimplendorum onerum essentialium omissionem, data opera manifestatus fuerit, quia actrix respuebat propositum sive familiae soceri sive mariti migrandi cum familia soceri in C. Quin etiam ipsa actrix suggerere videtur talem explicationem causae huius violentiae dum ait: «B. did this in the hope that I would change my mind about going to C.».

30. - Sed Peritus, ut iam supra dictum est, aggredientem agendi modum conventi, physicum et verba-lem, omnino abnormem, deordinationi eius personali-

tatis tribuit, quatenus «la personalità emotivamente instabile tende a formare rapporti superficiali e futili con gli altri, che sono solo considerati necessari ai propri bisogni immediati. Litigi meschini e periodi di disinteresse per le responsabilità sono comuni. Nel nostro caso questa sintomatologia si era già manifestata all'epoca del fidanzamento».

Inde, iuxta conclusionem peritalem, deordinatio personalitatis in convento reddidit impossibilem consensum quoad suum obiectum, seu «in ordine agli oneri coniugali», et praepedivit in eo «una piena comprensione e certamente la capacità di adempiere i doveri coniugali».

Immo, ex relatione peritali patet agi de personalitatis deordinatione indolis stabilis. Nam Peritus censet «che tale disturbo del convenuto sia permanente e che sia quindi tuttora incapace di contrarre un nuovo matrimonio».

Sub hoc igitur respectu omnino abnormis habenda est conventi reactio ad flectendam actricis oppositionem in optatam a seipso migrationem in C., dum factus est, sicut actrix refert, «extremely violent».

Quibus igitur perpensis, Patres censent conclusiones peritales in actis causae bene fundari, ideoque admittunt conventum in nuptiis ineundis incapacem fuisse assumendi essentielles matrimonii obligationes, praesertim quod spectat ad communionem vitae matrimonialis.

31. - Quibus omnibus in iure et in facto mature perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, decernimus et definitive sententiamus ad propositum dubium respondentes:

AFFIRMATIVE

seu

CONSTARE DE MATRIMONII NULLITATE, IN CASU, EX CAPI-
TE INCAPACITATIS VIRI ASSUMENDI ESSENTIALES MATRI-
MONII OBLIGATIONES; VETITO VIRO TRANSITU AD NOVAS
NUPTIAS, INCONSULTO ORDINARIO LOCI.

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et Tri-
bunalium administris, ad quos spectat, ut hanc Nostram
definitivam sententiam notificent omnibus, quorum in-
tersit, et executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Tribunalis Romanae Rotae, die 9 martii
a. 1995

ANTONI STANKIEWICZ, PONENS
ELIAS JARAWAN
ROBERTUS M. SABLE

Imprimi potest: Romae, die 16 maii 1997

GIUSEPPE PITTAU, S.J., *Rector Universitatis*

Imprimatur: Dal Vicariato di Roma, 15 settembre 1997

Sac. LUIGI MORETTI, *Segretario Generale*

Direttore responsabile: SERGIO BASTIANEL, S.J.

Redactio: U. NAVARRETE, S.J., *Direct.* - MONS. B. E. FERME,
V. DE PAOLIS, C.S.,

Autorizzazione Tribunale di Roma N. 841 del 12 Aprile 1949



Associato all'Unione Stampa Periodica Italiana

Finito di stampare il 26 settembre 1997

Tipografia Poliglotta della Pontificia Università Gregoriana
Piazza della Pilotta, 4 - 00187 Roma